



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 1. An Ordo in Charitate servari debet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

am contra justitiam: tum quia est usurpatio alienæ potestatis, nempe Superioris, ad quem solum punitio pertinet: tum quia quisque habet jus, ut non puniatur ab eo, qui nullam habet auctoritatem, & jurisdictionem in ipsum. Imò nunquam licet expectere punitorem inimici, etsi justam, & legitima auctoritate factam, quatenus ejus malum est; nam hoc est actus odii nunquam liciti.

### CAPUT III.

#### De Ordine Charitatis:

Q. 1. *AN Ordo in Charitate servari debet?*

Resp. Aff. Ita omnes. Prob. 1. ex Cant. 2. *Ordinavit in me Charitatem.* 2. Ex S. Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 27. *Ille justè & sanctè vivit . . . Qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non est diligendum; aut non diligat, quod est diligendum; aut amplius diligat, quod est minus diligendum; aut equè diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum est . . . Etsi Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere, quàm seipsum. Item amplius alius homo diligendus est, quàm corpus nostrum: quia propter Deum ista omnia*

nia sunt diligenda; & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo. 3. Ex S. Thom. 22. q. 44. a. 8. Modus, qui pertinet ad rationem virtuosi actus, cadit sub precepto, quod datur de actu virtutis: Ordo autem Charitatis pertinet ad ipsam rationem virtutis, cum accipiatur secundum proportionem dilectionis ad diligibile. Unde manifestum est, quod Ordo Charitatis debet cadere sub precepto. 4. Quia objecta diligenda, & optanda non sunt equalia inter se: Ergo debet esse inter illa Ordo, ut Charitas sit recta. 5. Deus vult, ut aliquos, nempe qui nobis sunt conjunctiores, plus diligamus.

Duplex autem est Ordo in Charitate servandus, alter in personis, alter in bonis. In personis homo amare debet. 1. Deum utpote principium, ac finem ultimum rerum omnium, & summè bonum, ac perfectum. 2. Seipsum. 3. Cæteros homines. In bonis primum locum tenent bona spiritualia, seu supernaturalia nempe gloria, seu beatitudo æterna, gratia, & virtutes. 2um. Bona naturalia, & bona corporis, ut vita, integritas membrorum, sanitas, &c. 3um. Bona externa, ut honor, fama, divitiæ, &c. Item bonum commune majus est bono privato; quia bonum commune est bonum totius, &

bo.

bonum privatum est bonum partis : sicut autem totum est majus sua parte , ita bonum totius majus est bono partis , ideoque ei præferendum.

*Q. 2. An, & quomodo quisque seipsum magis diligere debet, quam proximum?*

*Resp. I.* Unusquisque tenetur seipsum magis diligere simpliciter, & absolute quam proximum. Ita S. Thom. q. 26. a. 4. & q. 44. a. 8. ad 2. Prob. 1. ex Matth. 22. *Diliges proximum sicut teipsum.* Ubi dilectio sui proponitur ut Regula, & exemplar amoris proximi. Regula autem prior, & potior est, quam Regulatum. 2. Quia ex Ordine Charitatis homo magis inclinatur ad sui dilectionem, quam proximi, estque sibi magis conjunctus. Unde illud Eccli. 14. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?*

Hinc 1. Quisque tenetur se magis diligere in bonis spiritualibus, quam proximum, ita ut sibi potius velit & comparet Dei gratiam, amicitiam, virtutes, & beatitudinem æternam, quam cuilibet alteri, cum hæc bona sint omnium maxima, & maximè necessaria. Quod indicant hæc Christi verba Matth. 16. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, &c.*

2. In quacunque corporali necessitate æquali